SCOTORUM ELOGIVM

Seu

ΤΠΟΜΝΗΜΑ,

DE MORIBUS & RELIGIONE

SCOTORUM.

Suus est unicuique genti genius
Euphormio. *Icon animorum*

CAP. 1.

ABREDONIAE,
Imprimebat Edvardus Rabanus, 1641.

CAROLO,

MAGNÆ BRITANNIÆ,
GALLIÆ, ET HYBERNIÆ,
REGI SERENISSIMO,
FIDEI DEFENSORI CHRISTIANISSIMO,
DICAT

HUMILLIMUS
EI SUBJECTUS

ROBERTUS DOUNAEUS,
ABREDONENSIS.

SCOTORUM ELOGIUM

Seu

ΥΠΟΜΝΗΜΑ,

De MORIBUS & RELIGIONE *SCOTORUM.*

CArle Pater Patriæ, triplici dignate tiara,
Quæ plus ſuffecit regibus ante decem, (Thule
Quem Mona quemq; Hebrides venerantur & ultima
Mille colunt dominum quem freta, mille rates,
Quæ patet ad ſparſas vetus Albion Orcadas, & qua
Gens miſta Hybernos non bibit una lacus;
Auribus & vultu vatem dignare ſereno,
Si vacat, hic vultu ſtatque caditque tuo.
Si vacat haud librum percurrere, lemma libelli
Rex legat, at Regis, cætera, lixa, coquus.
Sic tibi quæ vates, ſeu quæ magis ipſe precaris,
Sic ſator ille hominum dona det atque DEUM.
Ille tuus genitor vates audire ſolebat,
Et Rex & vates Regius ipſe fuit:
Hujus abo proavoque tuo ſe Carmine digna
(Quod labor eſt Phœbo) fundere, luſus erat

At, tibi ni bonus eſt, malus eſt hic cætera, vates
Qui loquitur, quoniam dicere vera ſolet.
Dicere quæque timet Libro dicenda relinquit,
Effrons haud metuit Regibus iſte loqui.
Et tamen ecce rubet, tanta eſt reverentia Regum,
Nec ſibi ſed domino plurima forte timet.
Nam Regem Regni proceres; hos vulgus, & omnes
Unum horum, ſolus tres timet iſte Liber.
Sperne, Liber, vulgus; Regem reverere, verere
Magnates, gratus ſic eris inde tribus.
Nil vulgus dat; opes proceres; res ſolus honores
Et cenſum; huic placeas, dives, honorus eris.
Ecce ſupercilium ponit Rex, ponet & iras,
Si quas in proceres concipit ille ſuos.
His magc te veniam dominuſque liberque rogarent,
Quam ſibi, vel quamvis eſſet uterque reus.
Si quid peccatum reputet Rex, imputet illud
Non vitio, at Patriæ moribus ipſe ſuæ.
Si peccant mores, peccat Rex Scotus & illis
Quos tulit ex utero, quos feret inque rogos.
Et ſi Rex peccet, nunc nunc peccabimus omnes,
Laus eſt vel tanti crimen habere viri.
Sed neque crimen habe, neque mores projice noſtros
Nec bona noſtra aliis eſſe minora putes,
Præter nos quamvis decoret te Danus & ANGLUS,
Conferat & dotes gens tibi trina ſuas.
ANGLIA ſublimes animos dat, Dania lenes,
Nos fortes, pectus, vimque manumque damus,
Quam vim cunque refers animo vel corpore, noſtra eſt,
Et magna eſt; Scotis munus id omne refer.
Vim tamen ipſe tuam in Scotos excire ſuamque
parce, ſed Hiſpanus quam facit ille ferat.
Et grates agimus, quod, quam dedit ipſe, refugit,
Vimque tuam Scotus Belliger atque ſuam.

Vim

Vim tibi non iram noſtram placuiſſe fatemur,
Virtutes ſequeris, crimina noſtra fugis.
Si ſolum Regem demas, iraſcimur omnes,
Ira quidem juſta eſt; ſed nimis illa tumet.
Nec cito deferbent in quas ardeſcimus iras,
Cædem mos ſola eſt cæde piare pari.
Et quiſquis cædem vendit, non vindicat, ille
ANGLUS vel Gallus, non mihi Scotus erit.
Gallus ſed timidus fuerit, ſed degener ANGLUS,
Huc olim profugos qui tulit inde lares.
Dedecoratque ſuam gentem noſtramque, cruoris
Ipſe reus, tutos quod finit eſſe reos.
Sentirem & Scotum nummos pro cæde paciſci,
Poſſe niſi timidas temneret acer opes.
Largus opum potius cupit hic quam dives haberi;
Et quamvis egeat non mihi pauper erit.
Qui ſibi parcit erit timidus; qui parcit & auro,
Pauper erit; ſi quis parcat utrique, nihil.
Nec ſibi, nec nummis fortis largusque pepercit
Scotus, opum dominus ſit dominuſque ſui.
Si petat externos, in Gallos ſpargit & ANGLOS,
In capſis auri quicquid & æris ineſt.
Et ridet miſeros aurum argentumque legentes,
Sola tenet, nec dat, nec ſinit arma rapi.
Quærere divitias ludus ſit, ſpargere ludus,
Solus & ut poſſit temnere, quærit opes.
Hoc qui ſit, quæris; ſunt illi prœlia ludus,
Dum ſunt in mundo prœlia, dives erit.
Ubere glebæ ANGLUS, gazis ſe jactet Iberus,
Scotia dat fortes, bellica terra, duces.
Omne ſolum forti mundusque eſt Patria Scoto;
Fortius eſt remanet quo magis ille ſolo.
Hunc inter reſides populos ne quære, ſed inter
Arma ducesque illic crebrior uſque manet.

Si deſit bellum, facit; & ſi deficit hoſtis
Qui foris eſt, hoſtem quæritat ille domi.
Turbida teſtantur Regum interregna duorum,
Cum Rex ac infans Sceptra coæva' tulit.
Et dudum turbans animos concuſſit & arma
Nec ſcivit quonam verteret illa tamen.
Nunc nil peccantes animos erexit in Anglos,
Nunc pœne in ſeſe gens inimica ruit.
Nec temere excutiet quem toto pectore Martem
Concipit, & quamvis Rege vetante, fovet.
Tu facis hanc, quamvis inſons, Rex optime, litem;
In promptu cauſa eſt; fœdera pacis amas.
Indignatur enim quod nullum ſuggeris hoſtem;
Hoſtem quem vincat Rex det, amicus erit.
Si tibi quis fuerit, fuerit mox hoſtis & illi:
Seu fuerit dirus Turca, vel altus Iber.
Si bellum Gallo jubeas inferre, refiget
Ipſa ſua quondam fœdera facta manu
Scotus & Anglus, idem; quia tu dominaris utrique,
Sed ſi tu jubeas hoſtis & Anglus erit.
In ſe ſi jubeas ſe vertet, ut auſpice Cadmo
Terrigenæ fratres, orta draconе ſeges.
In cunctos prompta eſt; ſed alacrius ibit in hoſtem
Rex ſi, aut Heſperius Iupiter hoſtis erit.
Sique ſoror repetat tua Rhenum, ſique Bohemos
Quodque ſuum, juncto Cæſare, jactat Iber.
Iam reſides animos deſuetaque corda triumphis,
Si tranquilla cupis, rurſus in arma voca.
Invidet hinc Anglas quod mittis & indc Cohortes,
Segnis (culpa tua eſt) deſidet illa domi.
Deſpicis obſequium nimis (heu) operamque tuorum,
Vulnera quis Scotus tergo inhoneſta tulit?
Ipſe domi bellare vetas, foris obſtat & æquor.
Arma habet, at nullas queis vehat arma rates.

Tu con

Tu confer naves, ſed nulla ſtipendia, ſolvent
Hæc hoſtes ſpoliis ſatque ſuperque ſuis.
Cur Mare, cur cupidis obſtas, Rex Maxime, Scotis?
In procinctu acies jam tua ſigna petit.
Nonne vides? nullus ſine villicus ambulat enſe,
Paſſibus à tuguri limine forte tribus.
Penſilis aque humeris lambit prope baltheus inguen,
A tergo eſt, ulnas tenſa Machæra duas.
Lixa ſuam braccam, ſagulam venundat agaſo,
(Et nudum nivibus dat boreæque latus)
His ut emat ſcabra exeſum rubigine ferrum:
Cote novum facit hoc, quod fuit ante vetus.
Quin & fœmineum ſpirat genus undique Martem,
Impatiens ſexus, optat & eſſe viros.
Et ſi quis noſtræ gentis monumenta revolvat,
Scotorum uxores ſenſerit eſſe viros.
Atque olim ſolitas geſtare in bella ſecures,
Et lateri cultros applicuiſſe ſuo.
Ibat uterque una in thalamos, & prælia conjunx
Nec tamen hæc Veneris prælia; Martis erant.
Imo ferunt ſponſas revocaſſe in prælia victos,
Effuſamque virum ſæpe ſtitiſſe fugam:
Romanos Voadam ferro flammiſque ruentem
Cumque hac inſolitum pertimuiſſe genus,
Quale nec hyppolite neque ruptis Clœlia vinclis
Duxitve à Tanai Penthiſelea furens.
At nunc quæ quondam parmam verſare ſolebat
Sponſa colos, libros, tegmina verſat, acus.
Et virtute valens ſtudiiſque exculta Minervæ
Nunc trahi in exemplum nobile Scota poteſt.
Seu Matrona potens fuerit, ſeu ſedula conjunx,
Nubilis aut virgo, ſive ſenilis anus.
Femina rara bona eſt tamen eſt bona crebrior inter
Nos, quam quæ plures gens habet ulla duplo.

Virtutes certant vitiis his, optima nulla eſt,
Quæ mala non nimis eſt, hanc reor eſſe bonam.
Nam quæ pace ſuam, colit hæc quoque Pallada bello,
Siqua domum ſervat, militat illa domi.
Militat illa quidem nimium linguaque manuque,
Prompta, ungui, ſudibus, forcipe, dente, colu:
Deſertaſque novat ringens à conjuge lites,
Seu pro, ſeu contra militet illa virum.
Parturit aut pugnat; prole orbem, litibus implet
Urbem, adverſa ſimul flet, bibit; odit, amat.
Et ſemper vincit lachrymis vel amore maritum,
Inflectens animos in ſua vota viri.
Vincit amore ſui ſe vinci paſſa, moleſto
Cedens; Vir lachrymis ſe ſinit ipſe capi.
Fortis qui Scotum vicit, ſed fortior ille
Qui Scotam; ſolus vincit utrumque DEUS.
Quid Scotus, quid Scota poteſt Mavortia bello
Vidimus; hæc valeat; num valet ille toga?
Quid male quid recte faciat, refer, inquis utrumque
Si timeas, aliis, non tibi Scotus eris.
Quanquam averſus equos noſtris Sol jungit ab oris,
Quas pœne arctoo deſpicit urſa Polo;
Vix toga noſtra tamen noſtris conceſſerit armis,
Et menti & linguæ debita laurus erit.
Quot gignat doctos gens Ferguſis, Anglia teſtis,
Quo meat è noſtris turba diſerta Scholis;
Gallia, quicquid habes ſophiæ, debere fateris
Id Scoto, primus qui tibi doctor erat.
Hinc conjuratus juvenum clerique Magiſtros
CALORUS ad Celtas tranſtulit ante rudes.
An Scoto doctore magis Germania crebra
Milite quam Scoto eſt, OEdipe, quæſo refer?
Intra nos doctos, plures numeramus at extra
Nec nimis, at ſatis eſt Scotia docta probo;

Vera

Vera tamen nimis eſt, vates contemnit & odit,
Et vetat hos ipſo dicere falſa joco.
Fingere multa volo vates; non audeo; parce,
En verum invitus cogor, Apollo, loqui;
Nunc honor eſt tantum divinis vatibus, illis
Veridicis, ſedenim nullus, Apollo, tuis. *Verbi præconibus.*
Ergo vale, vates veri ſalvete, ſatelles
Sim veſter, poſthac nil niſi vera loquar.
Me fac (namque potes) verum, Rex Maxime, vatem;
Hoc tibi nil oberit, quod mihi vita foret.
Tunc ego vera loquar; ſi obrepat lubricus error,
Credulus hic tantum non maleſuadus erit.
Erramus multi quia nil errare putamus,
Forſque meum id crimen, gentis id atque tuæ eſt.
Perſtat & obdurat ſententia, mente movetur,
Nulla prius quam fit tetra remota loco.
Sed turbant, inquis, nolunt ſe lege teneri
Scoti, cor durum eſt impatienſque regi.
Tu lenis contra, indulge, indulgendo domatur
Durities, alia eſt ſi medicina, nocet.
Creſcit durities irritaturque ſubacta,
Tu ſine, mox ſeſe molliet iſte rigor.
Vim feciſſe, inquis; certe hæc violentia crimen
Non eſt, aut crimen deſinit eſſe malum.
Dicis vim crimen, Leges quæ vindicat æquas,
Et nomen Regis protegit atque decus?
Error habet cunctos niſi Scotos: fertur inanis
Lex ſine vi, ſed vis Lex foret uſque malis.
Iuſque bonumque bonis ſatis eſt ſine Lege, ſed (Eheu)
Quis bonus? Heu, omnes improba turba ſumus.
Improba turba omnes homines; ratioque Magiſtras
His tres, juſtitiam, vim, bona jura, dedit
Quod juſtium eſt, primum eſt; hinc vis; Lex inde: duorum
Vis prior & potior, rite ſecunda trium.

Nil bona Lex ſine vi, ſine Lege hæc cuncta capeſſit,
Seu bona, ſeu mala ſint; vis foret ergo prior,
Nec jubet eſſe bonum, cogit. Vis maxima virtus,
Qui theſin hancce negat ſe negat eſſe Sophon.
Corporibus noſtris, virtus hæc, indita menti eſt,
Et Regit hæc Scotos, nec ſine jure, ſuos.
Hinc Scoti ſua jura colunt; quid multa? coruſcat
Hinc honor & puræ Religionis apex.
RELIGIO quid non mortalia pectora cogit?
Plura quidem tolerat non mala nulla facit,
Per partes ANGLIÆ pedetentim irrepſit, & annos;
In Scotos venit turbine tota ſimul.
Cuncta quatit pacatque una; gens vincula rupit
Omnia quæ lædunt dedoluitque ſemel,
Namque intus ſtimulante DEO, ſuadente Geneva,
Projicit Auſonii ſacra profana Iovis.
Ille quidem pugnat, diſcorſque in prœlia prodit
Diſſidium; victrix ſed fuit uſque Fides.
Inde Fide gens tuta volat vi, fulminis inſtar,
Protendens clypeos, arma Fidemque duos.
Trudit in exilium proceres, ſævoſque philarchos
His Dii nec gladii, nec valuere preces.
Uſque viros, Genioſque malos gladiove Fideve
Vexat, at haud cædit, Nobilis ira fuit.
Abſque cruore, minæ; quid opus fuit inde furore?
Papicolæ haud poterant, vel tolerare minas.
Deprænſus monachus ſaccum lacerumque cucullum
Abjicit, & vanos, ænea ſigna, Deos.
Mox jugulo inſtantes gladios cum cerneret, ohe,
Parcite, ait, veſter: Parcite, Papa, vale.
En ego Calvini Knoxi, veſterque Miniſter:
Nec tamen hic fallax, ut puto, noſter erat.
Sic omnes Fidei noſtræ ceſſere vel iræ,
Fortior his ira vix fuit ipſa Fides.

Quis

Quis tibi Martyr erat Roma hoc turbante tumultu,
Mille quidem poterant, vix tamen unus erat.
Nunc tua ſi rabies, rerum male cardine verſo
Obſtantes premeret (dii meliora piis)
Unus nec falſus Martyr foret, igne probante,
Præter Diſcipulos, Scotia tota, tuos.
Tunc niſi quod mediam ſeſe tulit unda ſequeſtris,
Ipſa tuis gemeres nunc viduata ſacris.
Poſthac orba gemes; differt, non auferet æquor,
Quod manet â nobis non mediocre malum.
Hoc olim Domini tibi dixit amaſius, illi,
Quod dixit ſuperum panderat ante pater. *Apocal.*
Te Babylon quam nunc Tiberis, par cædibus illi 18.
Quam lavat Euphrates, par quoque pæna manet.
Mœnia poſt Gothos cernis reparata, ſed illa
Poſt Scotos iterum non recidiva cadent.
Ille tui fati canit hoc prænuncius Eſdras, 2. *Eſd.* 11. & 12
Non noſtris, credas vatibus ipſa tuis.
Hinc aquilæ videre tuæ vaneſcere plumas,
Quas valido noſter vulſerat ore Leo?
Et mox ipſa tuas aquilas, hoc vindice, cernes,
(Ne dubita) quales Varus in arma tulit.
Quo me Muſa rapis? vellit mihi Cynthius aurem,
Hæc, ait, evenient; tu tamen iſta tace.
Vatibus iſta ſacris linque, haud tangenda Poëtis
Perge, & ſuſceptum perfice fortis opus.
Alme pater, taceo, taceoque quod opto videre
Et cujus fieri pars quoque parva velim.
Pergo. Homines cedunt; hominum peccata ruinis
Decantanda ſuis fana, ſacella luunt.
Quæque ſuperſtitio per mille erexerat annos,
Unius ira hiemis reddidit æqua ſolo.
Cœnobia evertunt Scoti truncantque penates,
Hinc pes, inde volant aurea crura, manus.

Quis furor, ô proceres, quæ tanta licentia, dextram
Siſtite; ſtet fanum; ſed ſimulachra ruant.
Quid muti meruere lares? quid ſigna? quid aræ?
Sed pereant; quoniam plebs putat eſſe DEOS.
Parcite delubris; delubra fuere Deorum,
Purgate, & fient Templa ſacrata DEI.
Per vos priſca ruunt, per ſe ruitura fuerunt
Mox, paries vitium quod facit ipſe luit.
Nunc nova feciſtis, priſcis meliora, Sacerdos
Qui fuit, & mæchus; Presbyter atque vir eſt.
Plaudite Religio vetus eſt, nova Templa, Vetuſtis
Plura; ſed his ipſis condite plura novis.
Diſſita nulla petit ſacra plebs niſi paſchata. Præſto eſt
Officiiſque inhiat turba togata ſacris.
Terque quaterque ſacri merces eſt aucta laboris,
Quæ ſatis & multo pluribus eſſe poteſt,
Templis proventus adſunt, proventibus abſunt
Templa, pudet, proceres, quo prior ardor abit?
Atque utinam ceptis zelus ſic adſit, ut ullum
Nec cæcus faciat, nec violentus opus.
Concors in magnis, in parvis diſcrepat anceps,
Ac abit in partes gens, licet una, duas
His aliquid parvum eſt, nihil his, ſunt omnia magna,
Ipſa, aut quos comites poſt ſua terga trahunt.
Hos metuunt; animi minium quoque cætera fortes,
In ſolis ſacris cuncta pericla timent.
Nec lis hoc verſat, conſtans quo cardine ſidit
Religio, quamvis hinc labefacta ruat.
Sed quod pro ritu vicibus variabile multis
Ambigit, & fieri non fierique poteſt
His nocet, his prodeſt, ſolum licet, utile quando eſt
Convenienſque homini convenienſque loco.
At ſibi conveniens nil nunc quod depulit olim
Gens putat, hoc, veluti naufraga ſaxa, fugit.

Hinc

Hinc cuncta externi moris monumenta repellit,
Organa, feſta, aras, linea vela, cruces.
Hæc aliis cedit, metuit ſibi; ſublita fuco
Ne mel apis retrahat, ſpicula felque ferat:
Ne ruat in vitium flecti male cereus, uſu
Mos novus, in ritus degener ante malos.
Sic tua, Iordanes, aqua dulcis origine prima,
Merſa fit in ſalſos ſalſior ipſa lacus.
Gens quoque faſtidit ſacris aliunde doceri,
Et niſi det ritus non capit illa novos.
Immo omnes horret ritus veteresque novoſque,
Quorum non PAULUS vel PETRUS autor erat.
Corpus amat cultus animamque, ſed amputat umbras,
Si quid non ſolidum ſi quid inane crepent.
Et fixum eſt quodcunque tenet, nil mobile, ſi quid
Mobile ſit, fixum vi vacuumve facit.
Sacrorum hinc inhibet genialia feſta dierum,
Sacrorum & varius qui fuit ordo virum.
Et quicquid Synodo confirmat Pertha, quod aris
Romanæ ſentit poſſe favere lupæ.
Hinc & Epiſcopiis ſummum jus abdicat, & qui
Præſul erat quondam, pauper ut exul, abit,
Quem ſi Rex revocet, Scoti Scotæque recedent:
Solis præſulibus terra colenda manet.
Cur gens hos odit, bone Rex, ne quære doceri
Hoc odium certe eſt Religionis amor.
Nec ſapit ipſa ſibi ſoli, ſi poſſet & omnes
Pertraheret flectens in ſua jura viros.
Mox prece Germanos, mox ſollicitabit Iberos
Gallioſque in mores, qua licet, ireſuos
Ardor hic in ritus tantus, ſi pura laboret
Religio atque fides, conjice quantus erit.
At fidei accedit Regis, ſi junxerit illi
Quos ritus famulos, hos cupit eſſe ſuos.

Si ſinerus Rex eſſe ſuos; tum conſona Regi
Et ſibi gens nullo ſchiſmate tota foret.
In Regis verba hinc Regi juraret alacris,
Sed ſibi non poſthac in ſua verba, Fidem.
Olim juravit nuper juravit eandem,
Et plus, quod Regi diſplicuiſſe dolet
Iurarunt proceres, clerus, plebs, mulio, ſervus
Tibicen, balatro, femina, virgo, puer:
Ipſe DEI Regiſque hoſtis juraſſet & Irus,
Atque domo, ſacris, conjuge, Lege, DEO.
Reppulit hunc cupidum dubitans Eccleſia, numne
Ipſe ejuſque nothus ſacra lavacra tulit,
Pauperiem haud ſprevit ſed facta. Hæc audiat (inquit
Iurator) terras qui Regit atque fretum.
Ille DEUS genitorque hominum natique coævi
Qui DEUS, è noſtro ſemine factus homo eſt;
Quem mors, inferni manes, Acheruſius Anguis,
Quem nox, quem Stygii contremuere lacus:
Spiritus ille meus tenues prius ibit in auras,
Corpus in antiquum quod fuit ante chaos,
Quam nova ſe patriis intrudat ſanctio ſacris,
Seu trans ſeu citra pervolet illa mare.
Quid Rex? quid Scotus, faciet? juravit uterque
Se fore, ſe fidum jam putat eſſe DEO.
Conſulit hic nullum, nullum ille, aut conſulat omnes
Sic ſibi, ſic populo conſulet ipſe ſuo.
Hic, ſuaſore alio Regis quam Rege, repugnat
Regi, alii; Reges quod putet eſſe duos.
Si duo ſint alter cupit eſſe priorque, ſed uni
Parebit, quamvis conſulat ille male.
Quam Rex ſim magnus, quod ſum magis eſſe laboro,
Et quidvis niſi ſit Dardanus, Irus egens:
Triſtius his Regnum tamen his præpono duobus,
Quod Regnum premeret mole, ſed illa malo.

At quiſq

At quiſquis Rex eſt, ſolus ſibi rebus agendis
Autor ſit, ſolo ſed præeunte DEO.
Non alio amandat Reges DEUS, ipſe ſed æquum,
Quod jubeant, nullo jam mediante, docet.
Ad ſolium ille tuum proceres & vulgus inerme,
Te vocat ad ſolium Rex tuus, ecce, ſuum.
Proximus in terris meus es; me conſule Regem,
Per te aliis, per me Dux tibi, Doctor ego.
Pro te tres orant gentes; tribus hiſce venito
Mi propior, propior ſum tibi nempe tribus.
Quiſquis Rex errat, proceres, conſultor, amicus
Sæpius huic, raro conſulit ille DEUM.
Conſule majorem; reliquos non temnere tutum,
Et ſatis eſt; nec te, ſe regeretve minor.
Quid facis, ô vates, conſultor ſcilicet acer?
Conſulis en Regi; quod facis ipſe, vetas.
Quod ſcis, quod neſcis ſuadere, is perficit ultro,
Ne tu non facias, quod jubet ille, cave.
Namque cavillator multas gentem arguit omnem
Perfidiæ; Genius quis malus iſta refert?
Qui Sacramentum Regi dixere DEOQUE
Hos nunquam infidos arguet ulla dies.
Qui quod juravit mox ejerat, ingemat ille
Læſam, vindicibus Rege DEOQUE, Fidem.
Quique jubent bello populum vexare fidelem,
Regis in hos ipſos ira retorta ruat.
Iupiter à Scoto verte (ô) Regiſque tuaſque
Iras, namque alias non facit ille pili.
Heu quot nos monſtris terres! prænuncia belli
Signa quot aſſidue nocte dieque volant!
Auditi ſonitus Scotorum in montibus altis,
Qui rapiunt cupidos in fera bella duces,
Orgiâ ſic Thyas reboat trieterica, claro
Sic Corybas buxo Dyndima tota quatit:

Tales revera ſonitus auditi ſunt, in montanis quibuſdam Mariæ partibus, quo autore incertum.

Nam tuba terribili ſonitu Taratantara dixit,
Et lituus dirum mugiit ære cavo.
Æmulaque Iſiaco crepitacula concita ſiſtro
Sylvis & quaſſis infremuere jugis.
Sive Megera fuit Stygiis emerſa cavernis
Incertum, ſeu Mars impulit acer equos;
Hæc quicunque ſuis oculis aut auribus hauſit,
Hic bellum, bellum jam modo dixit erit.
Quin & nos terret THOMAS agnomine verus,
Quem nullum ſidus, nulla fefellit avis:
Vix tamen ex ſtellis avibuſque futura canebat,
Credibile eſt aliis incaluiſſe Deis.
Verſificator erat re & nomine, vixque poeta,
Quicquid tentavit dicere, verſus erat.
Natus abhinc luſtris prope centum ſecula vidit
Noſtra velut præſens, fataque noſtra ſimul.
Ille jubente DEO (quiſquis fuit ille Deorum)
Jam ſolito totus corpore major erat.
Atque ubi vaticinos concepit mente furores
Intumet & rabies effera corda quatit.
Ter frendens oculos intorſit lumine glauco:
Ter rabido fluxit ſpumeus ore liquor
Ter ſibi maxillas patulo diduxit hiatu.
Præſcia venturi ſolvit & ora ſono.
Tempus erit, (ſedenim procul hoc procul auguror eſse,
Quod datur haud Phœbo noſcere) tempus erit.
Quo fera Scotigenas vaſtabunt prælia cunctos
Prælia de milvi, monte vocanda trucis.
Quot venient volucres ad belli pabula, cornix
Sanguineas pullis quot feret ore dapes.
In latus adverſi natus premet acta parentis
Pila, ſocer generum cedet & inde nurum
Immo infans nuper natus fremet arma; recurvam
Non natus faciem, vertet ad arma, manum
Fæmineumq

Gladſmuir

Hæc partim ſcriptis extant, partim traditione accepta per crebuerũt.

Fæmineumque genus bello non ſponte ſuperſtes,
Fiet Amazonium non quoque ſponte genus.
Unius ambibunt tunc denæ heroides orbæ
Cerdonis claudi (reſpuet ille) toros.
Prævia ſigna dabo; mare cum petet aurea cornu
Capra, ſequens annus talia monſtra feret.
O utinam pereat fera capra ſecure vel igne.
Quantum (heu) Scotorum ſanguinis illa vehit.
Dii prohibete nefas, neque ſeclo CAROLUS illo
Regnet, nec tantæ ſit necis ille reus.
Nec fatale omen tua, Rex, hæc impleat Argo,
Totum regnatrix quæ domat una mare.
Si capra ſis tua vela refer modo, Regia puppis,
Si non ſis, aurum, quicquid Iberus habet;
Et tu prædator volucrum dans milvie bello
Nomen, idem Scotis nomen & omen habe
Et vatem, quem nec Fluidon nec Pinka fefellit, *A glad forſpey.*
Iupiter, incaſſum fac ceciniſſe ſemel.
Quin Scoto fratri, frater chariſſime, Pacem,
Communem Regem, qua potes, Angle rogas?
Dii tibi pro meritis, Lennoxi pacifer, omnes
Eloquio reddant præmia digna tuo.
Quo juſſore citæ placidus Rex temperat iræ,
Atque bonum patriæ tam putat eſſe ſuum.
Hæc de jure ſuo tibi, Rex, concedet, at uni.
Huic conceſſiſti plurima, plura petit.
Quod petit, exaudi; ſed ſi exaudire recuſes,
Haud minus obſequio fit ſubïecta tuo.
Quiſquis enim Regum juſtis obumrmurat actis
Exlex, impatiens, is ſi mente furit,
Dignus morte ſua Regum ſentire furores,
Obnitens Sceptris, non humiliſque regi.
Ne fera bella pares? vincemur ſponte, ſed armis
Non ſine te felix Dux neque miles erit.

Si ſine te veniant Hyberni, Brittones, Angli
Quos auſtrum verſus Tueda vel Eſca videt;
Siluresque Brigantesque ac vetus Anglia quotquot,
Iudice ſe, populos jactitat eſſe ſuos,
Quamvis Arthurus ducat jam Brittonas, Anglos
EDVARDUS, pedibus nobilis atque manu,
Turbidus Hybernos Tiron, tria fulmina belli
Terga dabunt Scoto pulverulenta fuga:
Aut Tuper ingentes cumulos cadet ille, cruentus
Cædibus ac ultus ſeque ſuoſque patres.
Ac tu ſi ſolus venias, nec milite quoquam
Nec ſocio, nullo cinctus & enſe latus,
Millia multa dabunt ſoli tibi terga manuſque:
Agnoſcunt Reges, teque tuoſque patres.
Cælitus incocta eſt Regum reverentia vultu,
Quam ſe vix credens poſſe timere, tremet.
Ne mitte hue alios neque ſcribe, ſed ipſe venito;
Plus ſolus poteris quam tibi mille duces.
Non opus eſt armis, pacalem præfer olivam;
Sic victor, nec ſic ſanguinolentus eris.
Huc ades & præſes comitia noſtra guberna
Conciliumque regant Sceptra, Corona, Thronus.
Quod pater incepit ſuſceptum perfice munus
Filius; & patrem, pectore præfer, avum.
Dedocuit gentem genitor ſævire ferocem,
Et cultu aſſuevit jam meliore regi.
Si Duce te tantum, quantum profecerat illo,
Mox huic collatus barbarus Anglus erit:
Barbarus huic Galluſque Italuſque & Scaliger ipſe,
Quam dicax nimium dixerat eſſe feram.
Tu quoque Londinum priſca mutabis Edina,
Bodotria Thameſin, captus amore loci.
Nec tibi Devanæ deamatæ mœnia ſpernes,
Quæ Scotus coluit Rex prius, ille Leo

Vetus Abredonia nomen.

Hæc

Hæc quantum in meliu
Cui fragiles
Ventorumque dom
Piſcoſa &
Nunc eſt finitim
Sic alia
Ex quo tranſa
Condit
Qua pate in
E
Nunc in
N
Qua pate
A
Scoto R
C
Multa t
C
Hinc tib

Sed ca

Ne ra

rigat h

Hæc Reges tenuere olim, nunc
Quem vix & proavus prænderet ille tuus:
Quamvis latronum domitor ſub nocte, pruinas
Solus hyperboreas temneret, altus equo
Veſpere prodierat ſolus, centumque latrones
Vinctos, mane redux, ut pecus, egit ovans.
At nunc conſilium noſtrum & comitia ridet,
Cladibus & creſcit furque latroque ſuis.
Grantius evaſit, cecidit Gilrufus, & ecce
Uno trunca, aliud ſuſtulit Hydra caput.

OGIUM.

obus,

it, habet,

de ferarum,

ati:

brius, hoc est,

galum.

fidem.